



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Rvperti Abbatis Monasterii Tuitiensis, ordinis sancti
Benedicti, Theologi antiqui ac plane clarissimi, in Cantica
Canticorum de incarnatione Domini commentario[rum],
libri VII**

Rupertus <Tuitensis>

[Köln], 1527

VD16 B 3703

Guttur illius suauiissimum, & totus desyderabilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34445

ctus, non reluctatus est ipse, tamen uiuus holo-
causto suo supfuit: & sicut Ioseph inuidia fratrum
superata de carcere transiuit ad curram domi-
nationis, & Aegyptum de periculo famis eripuit:
& sicut Dauid, cum esset minimus de medio
fratrum inuidientium assumptus, & rex unctus
superbum Goliad strauit, & post multas perse-
cutiones Saul, tandem sedit in throno regni: sic
iste dilectus inter aduersa gloriosus claruit, omni
q̄ inuidia & ipsa morte superata, in caelum as-
cendit, & sedet a dextris dei, iuxta illud: De tor-
rente in uia bibit, propterea exaltabit caput. Si-
militer de alijs q̄ plurimis experimēta capere co-
piose promptum est, ut scienter noueris ita esse
ut dilecta dicit, electus ut cedri. Finis descripti-
onis hic est.

1. Reg. 16.

Psal. 109.

¶ Guttur illius suauissimum, & totus de-
siderabilis.

¶ Guttur dilecti experimentum est diuinæ eius
dulcedinis, quæ nondum apparuit, sed in futuro
referuatur i remunerationem præsentis fidei ac
dilectionis, quemadmodum ipse dilectus dicit.
Qui autem diligit me, diligetur a patre meo, &
ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.

Ioan. 14

¶ Guttur illud suauissimum inquit: & non dicit
q̄ suaue uel cui simile sit. Cæterorum singulis
quædam similia dedit siue apposuit, uidelicet ca-
piti aurum optimum, comis elatas palmarum,
oculis columbas super riuulos aquarum, genis
areolas aromatum, labijs lilia, manibus tornum
& aurū cum hiacynthis, uentri ebur distinctum
saphyris, cruribus columnas marmoreas cū ba-

M

RV PERTI IN CANT. CANT. CA. V.
sibus aureis. Porro guttur (ut iam dictum est)
nulli rei simile, sed tantummodo suavissimum di-
xit: ut per hoc recogites ineffabilem atq; inæsti-
mabilem esse internam dulcedinē diuinitatis, ut
merito dictum sit, illud quod deus diligentibus
se præparauit, quale nec oculus uidit, nec auris
audiuit, nec in cor hominis ascendit. Sed nec ce-
terorum, de quibus iam dictum est, similitudines
sufficientes sunt.

Esa. 64
1. Cor. 2

¶ Vno autem dicto supplere cōtendit defectum
totius sermonis, dicendo, & totus desyderabilis.
Vere totus desyderabilis, & semper desyderabi-
lis, quia cum habetur, tunc magis desyderatur,
estq; uisio eius in desyderio, desyderium in ui-
sione, sicut scriptum est, in quem desyderant an-
geli prospicere.

1. Pet. 1.

¶ Talis est dilectus meus, & ipse est ami-
cus meus, filiæ Hierusalem.

Ezech. 25

¶ Quomodo potuit, sermo descripsit uirē ama-
bilem, dilectum, desyderabilem. Non talis pi-
ctura hæc, qualem aspexit illa nō mater nostra,
illa Hierusalem terrena, imo non Hierusalem, sed
Ooliba soror eius, quæ dicebatur Oolla, de qua
& sic scriptum est in propheta Ezechiel. Cumq;
uidisset uiros depictos in pariete, imagines ex-
pressas coloribus & accinctos baltheis renes, et
tyaras tinctas in capitibus eorum, formam du-
cum omnium similitudinem filiorum Babylo-
nis terræque Chaldæorum, in qua nati sunt, in-
saniuit super eos concupiscentia oculorum suo-
rum, & misit nuncium ad eos in Chaldæam.
Non (inquā) talis pictura hæc; uerū tamen am-
per